

cedit, quod facilius intellegi et iudicari potest, quomodo factum sit, ut Infinitivus in Optativum mutaretur a librariis Grammaticisue, quam contra, quum verbum *ἀνέλοι* istos homines offendere et decipere potuerit; praesertim quum hic ipse error commissus ab iis non minus, quam ab recentioribus Criticis nonnullis, deprehendatur multis locis caeterorum scriptorum, ut Xenophontis *), Apollodori **), et aliorum †), ita, ut non parum mirer, Brunerum alio loco ††) Palaephati pro *ὡς ἀλλάσσειν* legendum putasse *ὡς ἠλλάσσει*, aut certe intellegendum *εἶωθε* arbitratum esse; quum tamen fugere eum nullo modo potuerit, apud ipsum Palaephatum, secundo Capite, eodem modo legi *ὡς ὑπάρχειν* etsi sunt, qui etiam ibi e libris Apostolii aliisque reponi Coniunctivum, sed perperam, iubeant. Neque vero sic omnia verba primi Capituli integra existimari et sana debent. Nam ut dubitari nullo modo potest, quin statim initio Capituli, post verba *πλὴν τῆς κερφαλῆς*, inseri ex Oxoniensi Codice primo duobusque aliis debeant verba *ταύτην δὲ ἀνδρός* quippe quam accessionem orationi Palaephati fieri, cum verba eius *ἔτε γὰρ ἡ φύσις σύμ-*

*) Li. 3 H. G. p. 388
 Leocl. Ἀγησίλαος δὲ — ἀπαγγεῖλαι Τισσαφέρην τὰς πρέσβεις ἐκέλευσεν, ὡς πολλὴν χάριν αὐτῷ ἔχεν. vbi Leoclavius e libris aliis restitui iubebat *ἔχοι*. Hinc ap. eundem Xen. Cyrop. I, 6. 19 p. 85 λέγεις σὺ — ὡς — δ᾽ αὖν — rectius legi puto in MS. Bud., quam in aliis libris *ὡς — δ᾽ αὖ —*

**) 2 p. 115 Fab. *μαθὼν δὲ Αὐγάας ὅτι κατ' ἐπιταγὴν Εὐρυσθέως τῆτο ἐπιτετελέσθαι* vbi Faber corrigebat *ἐπιτετέλεσθαι* quae erat etiam Codd. Palat. lectio.

†) V. Stephan. et Vuessel. ad Diod. Sic. 4, 26 et Raphael. ad Act. 27, 10

††) C. 24